

orum, et a Papa impulsum ac directionem accipientium. Et de facto, quot annis bono Ecclesiae provisum est sine conciliis oecumenicis!

**470. Dico 2° : Concilia oecumenica utilissima esse possunt.**

Constat 1° *auctoritate*, id est :

1° agendi ratione Apostolorum, qui quaestionem de Legalibus hoc modo tractandam et opportune solvendam judicaverunt.

2° experientia Ecclesiae, quae ad illud medium pluries et feliciter recursum habuit.

3° verbis Pauli III et Pii IX in Bullis quibus convocaverunt, prior conc. Trid., posterior Vaticanum.

Constat 2° *ratione*.

Considerando, videlicet : 1° inquisitiones fieri solitas in conciliis, 2° incrementum zeli in pastoribus, 3° incitamentum obedientiae in fidelibus.

1° Inquisitiones circa doctrinam in conciliis sedulius et profundius fiunt ; veritas in majori ponitur lumine, et omni argumentorum apparatu firmatur, ex quibus doctores catholici arma sumere valeant, in controversiis agitandis et confutandis erroribus. Item inquisitiones factae circa mores et disciplinam aperiunt abusus reformandos, variasque variorum locorum necessitates, quibus leges attemperari plurimum refert.

2° Pastores, ex praeconcepto in conciliis mentis fervore, et ex affectu quo tenentur erga leges ab ipsis latas, ardentius et sapientius illarum premunt executionem.

3° Demum, fideles hujusmodi coetuum splendore plurimum commoventur, et ad venerationem obedien-

tiamque decretis conciliaribus praestandas proniores se exhibent.

## DISSERTATIO DECIMA

DE PRINCIPATU TEMPORALI ROMANI PONTIFICIS

**471. Tria de hoc principatu investiganda sunt : 1° An repugnet ? 2° An sit legitimus ? 3° An sit bono Ecclesiae necessarius ?**

### QUAESTIO I<sup>a</sup>

**An repugnet R. Pontificem principatum temporalem habere ?**

**Resp.** Affirmarunt Arnaldus Brescianus, Waldenses, Marsilius Patavinus, Wiclefus et Calvinus, contendendo auctoritatem Pontificiam cum regia esse insociabilem ; et recenter nonnulli Catholici, qui ausi sunt affirmare talem principatum non videri satis aptum felicitati temporali subditorum procurandae.

**472. Sed contra dico : Nullatenus repugnat Papam habere principatum temporalem.**

Prob. 1° *auctoritate*.

Errorem contrarium Wiclefi, prop. 10<sup>a</sup> et 16<sup>a</sup> damnavit conc. Constantiense. De caetero, auctoritates quibus, ex modo dicendis, adstruuntur legitimitas ac necessitas hujus principatus, clare ostendunt illum non repugnare. Denique, damnata est in Syllabo propositio sequens : « De temporalis regni cum spirituali

« compatibilitate disputant inter se christianae et  
« catholicae Ecclesiae filii. » (Prop. LXXV.)

Prob. 2<sup>o</sup> *ratione*.

Potestas spiritualis et potestas temporalis spectari  
possunt, vel in seipsis, vel in suo exercitio. Porro, nec  
sub priori, nec sub posteriori respectu sese excludunt  
ab eodem subjecto.

I. *In se spectatae*, duae illae potestates non sese ab  
eodem subjecto excludunt; secus enim nec in Deo  
simul subsisterent. Et revera, illae potestates natura  
sua non sunt insociabiles, quarum fines inter se optime  
concordant. Sed utriusque potestatis fines perfecte  
concordant; siquidem finis potestatis temporalis fini  
spiritualis subordinatur, et ita quidem, ut prior intendi  
non possit, nisi in quantum posteriori non obstat.

II. *In suo exercitio spectatae*, sese etiam ab eodem  
subjecto non excludunt.

Haec quippe incompatibilitas proveniret ex eo quod,  
vel exercitium temporalis potestatis exercitio spiri-  
tualis afferret praesudicium, vel, e contra, exercitium  
spiritualis impediret quin temporalis perfecte exerce-  
retur. Atqui nihil horum verum est.

2<sup>o</sup> *Exercitium temporalis potestatis exercitio  
spiritualis non nocet*. Noceret enim, aut negotiorum  
multiplicitate, aut natura. Jam vero :

a) Non nocet negotiorum multiplicitate. — Fieri  
enim potest ut principatus civilis Papae competens  
habeat parvam extensionem, et aliunde praesto adsint  
ministri capaces ad negotia nomine Pontificis expe-  
dienda.

b) Non nocet negotiorum natura. — Quae enim  
minus Pontificem decerent, forent sententiae capitales

et bella. Scimus, est unanimes populorum Italicorum  
tentias sanguinem enim viderent se a Longobardis laces-  
necesse non oppressos, nec Imperatores Graeci eis  
siones suas etiam vellent, aut, sub-  
defensiva ad propria servandas, non eventu non  
indecens.

2<sup>o</sup> *Exercitium potestatis spiritualis non  
quin temporalis perfecte exercentur*. innumera  
ceribus.

a) Quaecumque ad populi felicitatem legunt se  
conducunt, nullatenus auctoritati spirituali repu-  
assent-  
et e contra, quae ab auctoritate spirituali reproba-  
tanquam aeternae salutis noxia, non possunt legitime  
assumi in temporalis auctoritatis exercitio.

b) Praeterea, exercitium spiritualis potestatis plu-  
rimum prodesse potest ad melius, salubrius et effica-  
cius potestatis temporalis exercitium; quia : 1<sup>o</sup> Principi  
temporali habenti sacrum potestatis spiritualis cha-  
racterem major conciliatur veneratio. — 2<sup>o</sup> Ratione  
sacri sui principatus, Papa melius novit ea quae veram  
populorum felicitatem procurant, perfectius callet jus-  
titiae et aequitatis regulas in regimine servandas, cla-  
rius introspicit varias naturae humanae infirmitates,  
et aptiora remedia. — 3<sup>o</sup> Princeps spiritualis, ob ma-  
jorem suam cum Deo unionem, ardentiori zelo et  
charitate ad subditorum bonum promovendum im-  
pellitur, et optimi regis virtutes frequentius exhibet.

#### QUAESTIO II<sup>a</sup>

Utrum legitimus sit principatus temporalis R. Pontificis?

473. Resp. Id negaverunt veteres quidam Protes-  
tantes, uti Basnage, Mosheim, Sismondi, asserendo

« compatibilitate disputant inter se chribuisse ab  
« catholicae Ecclesiae filii. » (Prop. LXX, R. Pontifi-  
Prob. 2<sup>o</sup> *ratione*.

Potestas suas p̄s et potestas terrim ampliandas.  
possunt, quos dico : *P̄el in sup R. temporalis prin-*  
sub priomnino *legitimus est.*

ab eode 1<sup>o</sup> *auctoritate*, id est :

I. Iotius Ecclesiae sensu; quae constanter hujus  
eoderpatu legitimitatem agnovit.  
simu Pontificum R. loquendi et agendi ratione. Non  
suarunt enim jura sui principatus ardentem tueri;  
et maxime Pius IX, Litteris Apostolicis 26 Martii 1860,  
usurpatores Pontificiae ditionis excommunicavit. Porro  
repugnat tantam Pontificum seriem ita constanter  
jura indebita sibi vindicasse. Sunt enim R. Pontifices  
sapientia, aequitate ac sanctitate inter omnes alios  
principes commendatissimi, a Deo veluti justitiae de-  
fensores positi, et in rebus fidei et morum infallibiles.

Prob. 2<sup>o</sup> *ratione*.

Illa probatio, ex factis historicis quae huic princi-  
patui originem dederunt, desumitur.

1<sup>um</sup> *factum*, est Imperatorum Graecorum impoten-  
tia. Hi nimirum, per duo saecula, possessiones suas  
Italicas penitus neglexerunt, et male habuerunt, tum  
earum cives saepius dure vexando, tum praesertim  
in angustiis derelinquendo, ubi a Barbaris desola-  
bantur. Jam vero, iniquum esset omnes hos populos  
non potuisse propriae securitati ac felicitati providere,  
alios sibi constituendo principes a quibus adjuvaren-  
tur; potestas siquidem rectoria non conceditur nec  
retineri potest, nisi ea conditione quod fini suo essen-  
tiali procurando non fiat omnino impar.

2<sup>um</sup> *factum*, est unanimis populorum Italicorum  
consensus. Cum enim viderent se a Longobardis laces-  
sitos et misere oppressos, nec Imperatores Graeci eis  
auxilium praestare vellent, aut etiam possent, subsi-  
dium R. Pontificis requisierunt, et ejus interventu non  
semel laetati sunt; et sic Papae, a quo innumera  
beneficia acceperant, totis adhaeserunt visceribus.  
Atqui, in talibus rerum adjunctis, potuerunt se  
R. Pontificis ditioni submittere, et Pontifices iis assen-  
tiri ad Italiae incolunitatem et Ecclesiae bonum.

3<sup>um</sup> *factum*, est jus belli plane inconcussum. Romani  
enim Pontifices, quia, ad regiones Italicas protegendas  
non sufficerent, patrocinium Pepinii et Caroli Magni  
invocaverunt. Hi provincias injuste a Longobardis  
usurpatas justissime recuperarunt, et illas recuperatas  
justissime Pontificibus Romanis donaverunt, seu, po-  
tius restituerunt.

Jam vero, positis praedictis eventibus, nullus est in  
mundo principatus civilis, cujus legitimitas titulis ita  
inconcussis fundetur, et ideo si in quaestionem move-  
retur, jam omnium aliorum principum jura nutarent.

#### QUAESTIO III<sup>a</sup>

Utrum principatus temporalis Pontificis Romani sit  
Ecclesiae necessarius?

474. *Resp.* Quidam inter Catholicos affirmare ausi  
sunt satius fore, pro bono fidelium spirituali, si, Papa  
huic principatui voluntarie renuntiaret.

*Contra quos dico* : *Principatus temporalis R. Pon-*  
*tificis est, in praesentibus circumstantiis, bono*  
*spirituali Ecclesiae moraliter necessarius.*

Concedimus hanc necessitatem non esse absolutam : hoc enim principatu Papa diu caruit, neque, eo deficiente, deficeret Ecclesia ; Deus siquidem aliis mediis sibi notis animarum regimini provideret, Sed, attentis praesentibus circumstantiis, contendimus perniciosissimam esse hujus principatus amissionem. Unde, nec Papa potest huic renuntiare, nec illius usurpatores possunt hunc sibi retinere ; et principes christiani tenentur, pro virium mensura, procurare ut restitutio principatus civilis ecclesiastici quam primum fiat. Quae conclusio probatur auctoritate et ratione.

Prob. 1<sup>o</sup> *auctoritate.*

Pius IX, pluries et praesertim in sua Allocutione 20 Aprilis 1849, declaravit, hac de causa, singulari divinae Providentiae beneficio, Romanum Pontificem obtinuisse civilem principatum « ut ad Ecclesiam regendam, ejusque unitatem tuendam, plena illa potiretur libertate, quae ad supremi Apostolici ministerii munus obeundum requiritur, atque ideo S. Pontificem paratum esse animam potius ponere, quam hanc Dei Ecclesiae ac justitiae causam ullo modo deserere ».

Episcopi autem numero 265, Romae 9 Junii 1862 congregati, sic locuti sunt : « Civilem sanctae Sedis principatum, seu, quiddam necessarium ac providente Deo institutum agnoscimus ; nec declarare dubitamus, in praesenti rerum humanarum statu, ipsum hunc principatum civilem, pro bono ac libero Ecclesiae animarumve regimine, omnino requiri ; atque ideo nos cum S. Pontifice ad carcerem et ad mortem ire paratos esse. » Hisce porro Pii IX et episcoporum declarationibus omnes orbis terrae pas-

tores adhaeserunt ; habemus igitur sententiam totius corporis episcopalis.

In Syllabo damnatur haec propositio : « Abrogatio civilis imperii quo Apostolica Sedes potitur, ad Ecclesiae libertatem, felicitatemque vel maxime conducere. » (Prop. LXXVI.)

Neque aliter, a primo sui Pontificatus anno, locutus est Leo XIII ; et quoties data fuit occasio, suam de hac re mentem aperte et fortiter manifestare non omisit.

Prob. 2<sup>o</sup> *ratione multiplici.*

1<sup>a</sup> ratio : *ex dignitatis Apostolicae praecellentia.*

Papa enim est in ordine spirituali totius orbis christiani caput, omniumque principum Rex et Magister. Atqui tantae majestatis non decet, ut alicujus regis temporalis sit subjecta.

2<sup>a</sup> ratio : *ex libertate electionum.*

Princeps enim sub cujus ditione Papa versaretur, plerumque obtinere conabitur, ut ad Papalem dignitatem, caeteraque curiae Papalis officia, non eligerentur nisi personae sibi gratae, et saepe difficillimum erit hujus voluntati satis resistere ; plena ergo non erit electionum libertas.

3<sup>a</sup> ratio : *ex necessitate emolumentorum temporalium.*

Papa indiget multis emolumentis temporalibus pro negotiis ecclesiasticis expediendis, pro ministrorum suorum sustentatione, item pro largitionibus toto terrarum orbe effundendis, ad populorum miseras sublevandas, ad instituta utilitatis publicae promovenda, etc., etc. Sed undenam haec subsidia habebit ? An a rege per modum stipendii ? Sed nimis precaria et parum decens foret talis conditio. An ex dominiis

temporalibus sibi assignatis? Sed libera eorum gestio nonnunquam a principe impediretur; imo et aliquando eorumdem confiscatio reformidanda esset. Restat igitur ut haec subsidia, more regis, a subditis suis per modum tributorum accipiat.

*4<sup>a</sup> ratio : ex libertate qua gaudere debet in sua administratione spirituali.*

Ad hanc libertatem requiritur, ut Papa nullius potestatis arbitrio, minis, insidiis, fallacibusque artibus obnoxius sit, ne, aut terreri, aut circumveniri valeat. Atqui haec omnia timenda essent ex principe temporali cui Papa subiceretur.

*5<sup>a</sup> ratio : ex iteratis communicationibus inter Papam et fideles totius mundi.*

Casu enim quo Papa in alieno territorio sedere cogeretur, jam et episcopi et fideles non raro, regum invidia, prohiberentur illuc commeari quantum desiderarent; et, eo semel appulsi, non erunt quasi filii in domo Patris sui confidenter et peramanter agentes, sed veluti advenae, et quandoque suspecti et inimici. Unde maxime interest Papam regia decorari dignitate, ut territorium habeat, quod reputetur cunctorum Christianorum quasi patrimonium, universalisque concordiae centrum, ad quod dissitissimae gentes undique confluere possint, unamque videantur efformare familiam. Merito itaque episcopi Romae coadunati, anno 1862, Romano Pontifici haec inter alia dixerunt: « Qui porro vel hac vice fieri potuisset ut Ecclesiae « antistites, securi huc ex toto orbe accurrerent, cum « Sanctitate tua de gravissimis acturi, si ex tot et tam « diversis regionibus gentibusque confluentes, principem aliquem invenissent his oris dominantem, qui

« vel principes ipsorum in suspitione haberet, vel illis « suspectus ipse haberetur? »

*6<sup>a</sup> ratio : ex religiosa reverentia filialique simul confidentia, quibus Christi fideles personam R. Pontificis, ejusque acta prosequi debent.*

a) Reverentia erga Pontificem exhibenda externis certe adminiculis excitari et confoveri indiget. At si Papa, in temporali ordine, ad gradum simplicis civis deprimatur, jam habebitur in minore existimatione; dum, e contrario, decoratus potestate regia, jam duplici praefulgens aureola populis ac regibus apparet ut principium auctoritatis toto ipso mundo superius, omnemque humanam conditionem penitus excedens ac transcendens.

b) Idem sane exigit Christianorum erigenda erga Papam fiducia. Ad hoc enim necessarium est ut nemo suspicari possit, aut eum in regendo non esse ab omni humano influxu immunem, aut esse acceptorem personarum in litibus dirimendis inter principes et populos christianos, uni ex naturali affectu potius faventem. Tunc sane, minus idoneus videbitur qui, tanquam omnium Christianorum pater, dissida componat, exacerbatos demulceat animos, bella compescat, devictos principes erigat et consoletur. Atqui id valde esset timendum, si alicui principi temporali subjaceret: « Omnibus compertum est, inquit Pius IX (Alloc. « 28 Apr. 1849), fideles populos, gentes, regna, nunquam plenam fiduciam et observantiam praestitura « esse R. Pontifici, si illum alicujus principis vel « gubernii dominio subjectum, ac minime liberum « esse conspicerent; siquidem fideles, populi et regna « vehementer suspicari ac vereri nunquam desine-